

QVR. 166.

V
2033

DE
**RE IUDICIARIA
SAXONICA**
ANIMADVERSIONES QVAEDAM
ET CONSILIA

S C R I P S I T

E T

VIRO CLARISSIMO
**GODOFREDO LVDOVICO
WINCKLERO**

A A . M . E T I . V . B

S V M M O S
IN VTROQVE IVRE HONORES
MERITO COLLATOS
AMICORVM NOMINE

CONGRATVLATVR


CHRISTIANVS GOTTLLOB KVSTER

IVR. VTR. DOCTOR, SEREN. ELECT. SAXON. ACCISAR.
GENER. INSPECTOR, ADVOC. IMMATR. SOCIETAT
OECON. LIPSIENS. SODALIS

DIE XXII. MAI, A. C. CLCCCLXXXVIII

L I P S I A E
EX OFFICINA SAALBACHIA





VIRO CLARISSIMO
GODOFREDO LVDOVICO
WINCKLERO
C. G. F
S. P. D
CHRISTI. GOTTLÖB KVSTER

Conspicunt TE hodierno die amici TVI et
familiares iis ornamenti condicoratum, quae ne-
mini, nisi his, qui summa ope et alacri studio to-
tos se legum scientiae tradiderunt, conferriri solent.
Cuius quidem rei et amicitiae simul erga TE suae
ut exstaret aliquod monimentum, iusserunt me esse
suae in TE pietatis et benevolentiae interpretem;
quo munere quam nihil ego nouerim honorificen-

A 2 *tius,*

tius, quin id beneficiorum, quae maxima semper
TVA in me existiterunt, causa susciperem, nul-
lus dubitauit. Offero igitur TIBI et amicorum,
et meo etiam ipsius nomine leue hoc munusculum,
quod quam nullam, nisi pietatis praeseferat com-
mendationem, ut fronte velis accipere serena, te-
stemque habere ac sponsorem mei in TE animi,
magnopere rogo. Quemadmodum vero hodierna
dies splendidissimas TIBI auguratur et fortunae
et dignitatis accessiones: ita, quantaecunque haec
futurae sint, nullam tamen fore, quae TVA M
in nos fidem antiquam minuere vel infringere valeat,
eadem nobis sanctissime spondet. Quumque inter
magna et insignia, quae TIBI et nativitas, et
merita TVA contulerunt, ornamenta emineant vir-
tutes paternae, quas iure quasi hereditario non ac-
cepisti solum, sed tenes etiam ac tueris: dici non
potest,

*poteſt, quanta nos laetitia adſciat mira illa, ac
ſere inaudita patris TVI, Viri et generis ſplen-
dore, et honorum fastigio, et eruditionis ampli-
tudine, et meritorum magnitudine tantopere excel-
lentis, ut nihil eius vel dignitati vel fortunae am-
plius accedere poſſe videatur, felicitas, cui ex hac
vna die duplicem contigit percipere laetitiae mate-
riam, ut pote qua filius documenta eruditionis ſuae
ac praemia offert patri munera natalitia. Quem-
admodum igitur hanc unam diem non poſſumus non
et patri et filio gratulari tanquam aufſicatiffi-
mam: ita, ut eius memoria in gente TVA gene-
rofiffima ac ſplendidiffima diutiffime celebretur, at-
que nouae quotannis laetandi cauſſae accendant, et
TIBI, et **PARENTIBVS TVIS PER-**
ILLVSTRIBVS ex animo precamur. Qui-
bus votis ſi exitus responderit feliciffimus, cum*

*Themide et Minerua totus Musarum chorus TIBI
ita adsurget, comitemque se praebebit, uti nos a
TVO latere, TVA que amicitia nunquam recedemus.
Ita vale, nobisque faue. Scribeb. Lipp. d. xxii,
Maii, A. C. cclxxxviii.*

PROOE-

PRO O E M I V M.

Hic niger est, hunc tu, Romane, caueto! Ita exclamabit fortassis aduocatorum, lites e litibus serentium, cohors, vbi libelli huius frontem inspexerint.

De re enim iudicaria, vt inter Saxones est, deque ambagibus litium rescindendis, sermonem hic facere institui; quod quidem consilium quo certius viris probis approbatum iri intellexi, tanto aptius esse existimauit huic scribendi opportunitati argumentum, quod mihi in foro quotidie versanti facilime se offerret, et studiorum meorum rationi optime conueniret.

Memini vero me legisse: *lites legibus, et Papae, et Imperatori, et omnibus probis viris esse odiofas*: neque puto fore quemquam rei iudicariae gnarum, qui exitum litium tantis circumductum esse ambagibus, vt protractioni iustitiae semper sit relictus locus, dubitet.

In Germania praesertim quas lites proauus coepit, vix feri finiunt nepotes.

Ita plurimorum centies repetita querela audit, haec et Iureconsulti profitentur; neque quisquam est, qui non tanto audius viam iudicii ex-

ptet breuiorem, quo saepius ipse tarditatem iustitiae, naeuosque, quibus scatet eius administratio, est expertus.

Non itaque reprehendendos puto eos, qui controuersiarum longinquitate deterriti, ceu pestem fugiunt omnia, quae litis faciem praefeferunt, et insitum quasi ac naturale sentiunt adversus caussarum patronos odium, verborum memores, quae, curiae Mediolanensi, vt dicunt, inscripta, omnium ciuitatum curiis inscribi expediret:

In controuersiis caussarum labor animi exercetur, corpus quotidie fatigatur, bona opera postponuntur, et qui obtinent, computatis laboribus et expensis, nihil acquirunt.

Iam quanquam vni sunt libertate sua dicendi ingenue, quid de rei iudicariae emendatione sentirent, complures lCti, iisque illustres: STRYCKIUS, THOMASIUS, GRIBNERVS, BRVNNEMANVS, HOMMELIUS, HOFFMANNVS, alii, non potuerunt tamen consiliis suis malo ipsi mederi, et litium ambages resecare, cuius qnidem rei primum auctorem eumque sapientissimum habebimus proxime Eletorem nostrum Serenissimum, Patriae Patrem, Pium, Felicem, qui spem nobis fecit certissimam nouae legis iudicariae, quam cupide exspectamus.

Ni-

Nihilominus me ipsum, qui neutiquam ad tantorum virorum sapientiam volui adspirare, vel tenui hac scriptiuncula magna promittere, imperaturum esse confido veniam a lectoribus tanto facilius, quanto magis est laudanda voluntas, vbi vires deficiunt.

§. I.

DE LEGE IUDICIARIA.

Excogitauerat ante aliquot secula HARTMAN-NVS PISTOR, ICtus quondam celeberrimus, methodum, qua lites citius, quam tunc fieri solebat, ad finem perduci, et commodius tractari possent. Mortuo HARTMANNO, repertae sunt eius de contiouersiis ciuilibus meditationes inter sche das, et dignae tunc demum iudicatae a Principe, e quibus iudiciorum lex conficeretur. Haec origo nemini ignota Ordinationis Processus, quae sub *veteris* nomine in Saxonia obtinet, et die 28. Iuli 1622. promulgata, die 10. Ian. 1724. denuo recognita et emendata ad lucem peruenit. Quan quam antem nostris diebus mutata sit omnino rerum seculique indoles, et maxima senserit ars quoque iuris, reliquarum disciplinarum instar, augmenta: tanta tamen est ad hunc usque diem Ordinationis huius auctoritas, tanta eius vis et efficacitas, ut legum lex, et constitutionum sum-

ma iure dici possit, ut norma sit vnica et perpetua rerum in foro et pertractandarum et decidendarum, ut eam ignorans, nullo modo possit causarum patroni in se suscipere officium, ut sine illa artifex absque instrumentis, et miles sine armis, aduocatus sit habendus.

Quidquid tamen sit, est profecto lex quoque *publica*, non solum iudicium et aduocatorum caussa lata, sed ad communem omnium ciuium usum, ad vniuersae Saxoniae utilitatem et commodum promulgata, ut nemo sit, qui, qua norma iudicari debeat, possit ignorare. Quis ergo non mallet Ordinationem hanc ita conscriptam esse, ut ab omnibus vocabulis latinis vacua, neque vlla sermonis difficultate pressa, a quoouis ciuium intelligi, neque captu populari sublimior censeri possit? Quis porro dubitat, magnam posse afferri nostrae reipublicae utilitatem, si Ordinatio Procesus recognita sola, nec vna cum veteri coniuncta, exstaret, haec autem in usum prouinciarum, quas in vim legis obligat, separatim edita esset? In promptu enim est, complures iurisscientiae tirones, non dicam, causarum patronos, Ordinationem hanc recognitam cum veteri, hanc nostram cum aliena, saepius confundere, et in dubitationes erroresque maxime perniciosos hinc inde incurrere.

Quis

Quis est deinde, cui non in oculos cadat, quantum commodi redundare possit ex promulgatione huius ordinationis palam, et per affixionem publicam in loco publico, aliorum, vel minoris momenti, Mandatorum instar, facta, quauusquisque litigantium edoceretur, quaenam sint iudicis et aduocatorum strictissima officia, cuius auxilio ipse discere posset et explorare, vtrum procurator suis omnibus negotii commissari partibus defunctus sit, an ab officio recesserit is, cuius fidei omnes saepe fortunas suas credere cliens non dubitauerat. Quantopere denique vtile foret et necessarium, adiici Ordinationi Processus grauiorem sanctionem poenalem, in eos statutam, qui formam lege praescriptam sua sponte negligere haqd erubescant? quum quotidiana edoceamur experientia, plura bene ac sapienter instituta plane non obseruari, et poenas, aduocatis, officio non satisfacientibus, imponendas, rarissime decerni.

§. II.

DE ADVOCATIS.

Quendam medicorum turba periisse, refert
PLAVTVS: Ita aduocatorum legionibus litigantes.
 Tantus profecto, vt hoc exemplo utar, in Saxonia est aduocatorum numerus, quanta ante Iustinia-

stiniānum erat legum moles, adeo, vt non reprehendendus esse videatur rerum forensium expertis, qui propter hanc ipsam aduocatorum multitudinem sibi persuadeat, nullum esse vitae genus, quod vel emolumentis, vel amoenitate superet aduocatorum officium. Imo vero aliter res se habet, et tantum abest, vt gnarō rerum perscrutatori vita aduocatorum videatur felix, iucunda, et deliciarum plena, vt potius saepissime eadem misera, tristis, et difficultatibus maximis ac laborum mole oppressa appareat, si omnia, quae officii ratio postulat, rite absoluere tendat causarum patronus, nec desit ipsi facultas, munere, in salutem ciuium, vt par est, perfundendi.

En! statim se nobis offert iusiurandum promissorium, ab aduocato sub auspiciis muneris praestandum, quod tam arduum est, vt integrum illud seruare, vix hominis esse videatur. Impositum ip̄si est, causas dubii iuris a se remouere, et non satis iustas derelinquere, nihilominus tamen per ordinationem Processus compellitur, vt inuitus patrocinium praestet, prohibetur causam suscep̄tam defērere, et poena proposita cogitur, ne a re inchoata desistat. Quid igitur ip̄si faciendum? neglecta iurisiurandi sanctione, pro lubitu causas, siue iustae sint, siue iniustae, in se suscep̄pit

pit aduocatus, et inuito Marte, saepius etiam lucri faciendi causa, ad finem vsque pertractat.

Exemplum hominum eiusmodi nobis offert VENTURA DE VALENTIIS his verbis: *Eloquentes sunt, ut impugnent veritatem, qui adstruunt non comperta, suas struunt innocentiae calumnias, destruunt veritatis simplicitatem, obstruunt vias iudicij. Quemadmodum autem nulla est, quae non exceptionem admittat, regula: ita et in tanto peruerorum aduocatorum numero inueniuntur haud pauci, qui, officiorum memores, lucent inter collegas, velut inter stellas luna minores. His omnis sit laus, et honos, et gloria!*

Caeterorum, de quibus supra dictum est, ergo mallem lege sanctum: quod unusquisque aduocatus probitatis suae et eruditionis, nec non commorationis per aliquod tempus apud aduocatum perdoctum probumque, testimonio opus haberet, priusquam in iudicio admitteretur, ipsum autem probitatis testimonium, non tam ab aca demia, quam a iudice, coram quo lis ventilanda esset, peteretur. Vellem porro, non omnes promiscue admitterentur aduocati in iudicio, sed iu solum, de quorum probitate et iustitia constaret, iu vero, qui iam leuis notae, vt ita dixerim, macula laborarent, non modo statim remouerentur, sed nomina adeo eorum in publicas ephe-

meri-

merides, adiecta factorum consignatione, inseruntur, quod incitamentum foret vnicuique, probitati et iustitiae se totum mancipandi. Optandum deinde esset, ut quisque causarum patronus ante omnia, et prius quam rem in iudicium proferat, amicabilem litis compositionem, cum partibus inter priuatos colloquens parietes, tentare obstrictus esset, et sine huius officii probatione coram Actis plane non admitteretur, quo facto lites infinitae in ipso quasi partu extinguerentur. Vellem itidem aduocatorum temeritatem in cavillando grauius coerceri, quum usus quotidianus doceat, indies haec conuicia euadere frequentiora, et anferinami hanc loquacitatem esse multorum malorum matrem. Similem denique poenam statuendam esse censeo in advocatos, qui turpi lucri cupidine ducti, per verborum faruginem maxime ineptam, et scribendi prolixitatem, iudici molestias, partibus sumitus inutiles, et liti aeternitatem parare non erubescunt.

§. III.

DE ACTIS ADVOCATORVM PRIVATIS.

Nullibi in Ordinatione Processus iniunctam inuenies aduocatis necessitatem conficiendi domi acta in priuatum usum, quibus res in foro peragendas consignentur: quod quidem multis

ex causis vtilissimum fore iudico. Facile enim potest euenire, vt incendio, alione casu fortuito pereant monumenta publica in tabulariis iudicibus reseruata, vel vt contrariae partis, qui nihil se processus via lucri facturam esse prouidet, dolo auferantur acta iudicialia, cuius audaciae haud raro exstant exempla. Quid porro? Nonne, amissis actis, et expensarum amittitur summa, et temporis longum spatium? Ne quid de itineris sumtibus dicam, quibus saepe parcetur, si aduocatis, ad inspicienda acta publica, iter facere, opus non esset, actis priuatis diligenter instructis.

Sed his omnibus malis esset prospectum, si lege fanciretur: Acta Aduocatorum priuata, cum repertoriis, omnino iudicialium actorum instar, esse conficienda, semperque ab aduocatis, in Processus vnoquoque Termino, iudici producenda, nec non ab hoc cum illis comparanda, vt, amissis casu fortuito actis iudicibus, haec suppleri possint per priuatorum actorum productionem et usum, quo etiam consilio, aduocatorum solertia, diligentia, et fides statim appareret*).

§. III.

*) Quoad curiam quidem supremam prouincialem Lipsiensem id expressè cautum in articulis visitationis Augusti I. de a. 1583. in Cod. Aug. Tom. I. p. 1308.

§. III.

DE AESTIMATIONE EXPENSARVM
IVDICIALIVM ET EXTRAIVDICIA-
LIVM LEGITIMA.

Ne quis ludibrio habeat, quae equidem, cau-
sarum patronus ipse, de hoc dixerim argumento:
Sportularum taxam aliter, quam nunc est, constitu-
tam, sed plane non angustiorem, in votis habeo.
Nec profecto angustior esse posset, quum multo
plura hodie requirantur ad vitam sustinendam,
quam anno 1724. quare quum mercedes adeo
opificum ex eo tempore hinc inde auctae sint,
cur aduocatis minuere cupimus, quae aliis adie-
cimus? Paupertas vero, in qua viuit magna aduo-
catorum pars, multa suadet mala, resque angusta
domi homines ipsos et officia, quibus funguntur,
contemptui exponit locupletiorum et risui impe-
ritorum. Quodsi itaque Reipublicae interest,
lites earumque patrocinia a doctis iisque probis
viris suscipi, habeant illi quoque, vnde honeste
viuant, et par sit ratio inter honoraria patrono-
rum, et difficiles, quibus hoc vitae genus premi-
tur, molestias, ne, si minuantur sportulae, res in
posterum eo deueniat, vt nemo foro se manci-
pet, nisi imbecillioris ingenii homo, vel malae
indolis adolescens, qui alio modo quaestum fa-
cere honestiorem plane desperauerit. Praeterea

non

non minus optandum est, ut ipsa, qua expensae aestimantur, lex, et aptior et clarior promulgatur, et ad meliorem ordinem accommodetur. Est nimurum in taxa nostra aduocatis pro mandato, pro substitutione, pro litteris imploratoriis, pro Terminorum cura in inferioribus aequae ac multo magis in superioribus iudiciis, pro contumaciae accusatione, pro audiendis sententiis, pro litteris supplicibus, pro itinere, etc. honorarii loco plus concessum, quam conficiendis eiusmodi, vel sine vlla mentis deliberatione, vel saltim cum leuissima tantum cogitatione, et ad analogiam plerumque, laboribus, merentur, cum e contrario, parum honorarii ipsis sit statutum pro confiendo libello, pro positionum conscriptione, pro litis contestatione, quae est difficillima, pro probationibus, pro deductionibus, aliisque, non sine summo studio, consilio, et prudentia, peragendis operibus. Quae cum ita sint, quis dubitat melius fore, si potestas dicasterii in Mandato *zur Taxordnung*, d. d. 10. Ian. 1724. §. 14. relictā, indulgendi quoad sportularum taxam in negotiis tam arduis, in leuibus autem infra legem moderandi, et aduocatorum adeo probata peccata, eruptis sportulis, poena coercendi, diligentius exerceretur?

DE IUDICIBVS.

Dictum a CICERONE legimus: *carere debet omni vitio, qui paratus est in alterum dicere: sed cum hoc pro humana natura plane fieri non pos sit, de grauioribus animi saltim vitiis verba illa intelligenda puto, qua in re et D. AVGUSTINVM habeo mecum consentientem, qui ait: ille alios iuste reprehendit, qui non habet, quod in se aliis reprehendat.*

Late in hoc campo liceret exspatiari, si de tot tamque graibus iudicum officiis dicendi potestas esset; verum prohibet vltiorem tractationem et libelli consilium, et debita pietas erga viros, me longe superiores, et in Illum, penes quem stat iudices designandi facultas. Quaedam tantum de officiis iudicum, quoad lites, commemorare liceat. Iudex nempe, qui in administranda iustitia agit sincere, aperte, candide, incorrupte, et fideliter, id est, qui hoc solum agit, non quod ipse, sed quod lex et religio vult atque praecepit, eiusmodi iudex aequa certe lance pauperem inter et diuitem ius dicet, probum se et constantem omnibus praebebit, in eo autem in primis indefessam collocabit operam, vt litibus ipsis, statim ab initio, per amicabilem compositionem rite tentatam, quantum fieri possit, caueatur.

Quan-

Quanquam enim verum est, concordiam suaderi posse, non imperari, attamen illud quoque certum est, adhibita a iudice, in primo statim termino, quam debuit, industria et diligentia, litigantes saepius in gratiam redire, et iudicis auctoritatem ad rescindendas lites, earumque incommoda vitanda, non parum valere, cuius rei testem habemus ipsum IUSTINIANVM in L. 13. §. 1. C. de Iudic. si iudex ipse noluerit, nullus tam audax inuenitur, qui possit eo inuito litem protelare.

In causis praesertim, quas dicunt, minutis, exoptarem iudicibus ampliorem rescindendi has, et litis filum rumpendi, potestatem. Non enim raro fit, ut processuum sumtus excedant pretium ipsius rei, de qua litigatur, adeoque intersit habere iudicis sententiam, licet non solennem eam vel subtilem, at promptam tamen. Cui accedit, quod non rari sint e plebe homines, quibus omnino nihil iustum aequumque videatur, nisi quod ex iudicis ore profluat; his igitur per sententiam iudicis semper satisfaciendum est, et, si illis per eundum, pereant certe cito. Omnis itaque iudicis laus versabitur in celeritate, qua minutas has, quibus forum quotidie obsidetur, causas definire studet, nec non in constantia et facultate, querelas ac conuicia hominum, de iniuriis sibi factis, conquerentium, statim remouendi, amba-

gesque omnes in causis eiusmodi prudenter refecandi. Nec litigans ipse habebit, cur iudicem accusare possit iniquum, a quo vna hora, vnoue die absolutum se et sumtibus liberatum esse sentit.

Denique et illud in votis est: ut iudices scribis suis et apparitoribus sub iactura muneris serio praecipient, ne litigantium animos nugis, et vili de processus exitu, deque exceptionibus proferendis verborum farragine corrumpant et distrahant, quippe quod genus hominum, iurisprudentiae plane expers, conatibus suis innumera iam detrimenta attulit, et litigantes, ex inferiori praesertim ciuium classe, ipsis deditos, ad litium pericula saepissime inuitauit,

§. VI.

DE AMBAGIBVS IN PROCESSV RESCINDENDIS.

Sunt denique in ipso iudiciorum ordine multa superflua, multa etiam in meliorem certe ordinem redigenda, quae, quantum licebit, attingamus.

Positiones calamo a scribis excipi et ad Acta transcribi, omni carere videtur utilitate, nostris in primis temporibus, introducendoque septiduo, quo omnia ad iudicem in scriptismittuntur. Sed haec

haec ipsa ad iudicem transmissio nullam habet aliam utilitatem, quam lucrum scribis iudicibus inde quaesitum. Curni omnia scripta, iam munda, iudici possunt offerri? cur priuatim primo, dein publice, positiones sunt scribendae? multo commodior fane esset prior ratio, et septidui seruandi gratia, multo accommodatior.

Duabus positionibus denique, replica, et duplica, omnia possunt absolui, vltiores abundant; nemo amat cramben bis coctam, multo minus tertiam, et in tertia positione noui nihil in medium vñquam profertur. Eadem ratio est circa disputationes attestacionum, quae ad sententiam ferendam nil vtilitatis habent, propterea quod noui nihil in libellis saluationis et exceptionis exhibetur.

Contumaciae accusationes damnosas, et in protelationem litium solummodo vtiles, puto, cum nulla cogitari possit causa, curni iudex ipse, super contumacia non accusata, sententiam ferre possit, tanquam super re legibus decisa et in apri-co posita.

Litteras praeſentatorias, vt dicunt, omnes e Procesſu exoptarem proscriptas; seit enim ipſe iudex, quid decernendum, et, si ignoret, ex talibus profecto litteris plerumque non diſcet, quae vel raptim, vel confusius ab aduocatis ſaepiſſime ſolent conſcribi.

Cautio pro expensis hodie raro soluitur et rarissime exigitur, plerumque etiam vexae causa opponi solet. Huius loco arbitrium iudicis potius adeundum, ut hos, qui de re iniusta litigant, plane a judicii limine arceat.

Multi infunt iuramentis delatis, nec non iuramento calunniae, noxii abusus, et detrimenti non parum generi humano aequa ac Processus breuitati inde nascitur. Quam optabile, ut haec etiam minuerentur, tamque salutaria hominum scelestissimorum asyla exstirparentur!

De sententiis nil dicam: manus enim sententiationum aequa ac mentes alligatas scimus legibus, et saepissime interlocutorie pronunciare cogi, qui sententiam ferre mallent definitiua. Vastus huic argumento patere posset liber.

Exoneratio conscientiae per probationem nil nisi iustam facit litis protractionem, et miserum praebet temere litigantibus refugium, quo plerumque litis amicabilem, cum alterius damno, compositionem, et expensarum restitutionem intendunt. Penitus itaque abrogandam esse, suadere nullus dubito, quae et de Interrogatoriis mea est opinio, quae quum in Processu criminali nullum inviant locum, cur in ciuiles caussas, tanta futilium saepe quaestionum turba, obruere debent?

Probationum omnino modus hinc illinc breuior, nec tantis obstrictus solennitatibus, est

ex-

exoptandus, aequē ut dilationum cautius conce-
dendarum necessitas, et articulorum probatoria-
lium restricō, et omnium omnino subtilitatum
extirratio.

Quis porro non breuiorem commendauerit,
exorto bonorum concursu, litigandi viam? pae-
fertim vbi massa bohorum ne sumtibus quidem fe-
rendis par inueniatur. Profecto breuitas, qua in
terris Altenburgensibus, aliisque, expediuntur
concurrentes, laudanda est et imitanda.

Miserum denique appellationis remedium
quantum damni iudiciorum salubritati infert! ex-
stinguit id omnem, lites paucō tempore et labore
componendi, spem et fiduciam. Habeant appella-
tiones, salua Principis auctoritate, in causis et
negotiis plerisque effectum solummodo deuoluti-
vum, non suspensuum, mittantur apostoli non
prius, quam de obsequio a condemnato senten-
tiae exhibito, constet, amoueantur a limine iudi-
cii friuole appellantes in causis locationum con-
ductionumue, alimentariis, minutis, exsecutiuis,
aliisque, et poena grauiori eorum temeritas, ac-
que ac aduocatorum in conficiendis eiusmodi scri-
ptis neglecta officii ratio, coercentur: quo facto plus
fane commodi redundaret in ciues, quam Gabellae
remissione, cum vel maxime pauperrimum homi-
num genus soleat, adhibito appellationis remedio,
et fortunas et sumtus profundere.

Satis

Kerwesey

XXIII

Satis de his. Sufficiat adscribere verba AV-
SONII:


*Obtuli opem, multis postentibus, artis inemtae,
Officiumque meum cum pietate fuit.*

DE BENNIGSEN.	ADV. KLEPE.
M. BLÜMNER, I. V. B.	ACT. KRETZSCHMAR.
ADV. BREHM, I. V. B.	PROTON. KRITZ.
BREHM.	LEVY.
BRVNNEMAN.	M. LOEBEL, I. V. B.
CVRTIUS, I. V. B.	M. MÜLLER.
ADV. DÄRHNE.	ADV. PLOESSING, I. V. B.
D. ERHARD, P. P.	ADV. POHL, I. V. B.
FRANCKE, I. V. B.	M. ROSENZWEIG, I. V. B.
FRIEDEL.	SCHAREF, I. V. B.
D. GEHLER.	M. STEINMETZ, I. V. B.
M. HAVBÖLD, I. V. B.	STOELZER.
M. HAVBOLD.	THOENERT.
M. HEYDENREICH.	D. WINCKLER, SENAT.
HILSCHER, P. P.	AVDIT. WINCKLER.
M. HOMMEL, I. V. B.	WINCKLER.
D. KIND.	WOELFFING.

X2379997

n.c.





Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

RE IVD
SAXO
ANIMADVERSIO
ET CO
SCR
VIRO CL
GODOFRED
WINC
AA. M.
SVN
IN VTROQVE
MERITO
AMICORV
CONGR
CHRISTIANVS C
IVR. VTR. DOCTOR, SER
GENER. INSPECTOR, A
OECON. LIP

DIE XXII. MAII,

LIP
EX OFFICIN

BIBLIOTHEK
PRINZ